

**1988-08-16 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Mariali Anno’**

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA MISSA AD  
LADISLAUM S.R.E. CARDINALEM PASKAI,  
AD EPISCOPOS ADQUE  
CATHOLICOS FIDELES HUNGAROS  
POST NONGENTOS QUINQUAGINTA  
TRANSACTOS ANNOS  
AB OBITU S. STEPHANI, HUNGARORUM REGIS***

***MARIALI ANNO***

MARIALI ANNO 1988 iam absoluto, eodem die quo Ecclesia meminit “. . . Virginem Mariam, perfecto terrestri vitae itinere, corpore et anima ad supernam caeli gloriam evectam esse . . .”, vos, dilecti Fratres et Filii Hungari, memoria recolitis nongentos quinquaginta transactos annos ab obitu sancti Stephani, Nationis vestrae Conditoris, atque una simul sedulam honoratis praesentiam Mariae “Magnae Dominae” in vestra perantiqua historia. Etenim die xv mensis Augusti anno MXXXVIII obiit diem supremum rex Stephanus, qui Gentis vestrae clarum gressum in christianam religionem perfecerat, eidemque hereditate reliquit pietatem in Virginem Mariam.

Eodem hoc anno, praeterea, memoria fit quinquaginta annorum a quarto et tricesimo omnium Nationum Eucharistico Conventu, qui sane eventus ecclesialis mirum in modum pernotuit non in urbe vestra Budapestino tantum atque in Patria vestra, sed cuncto in catholico orbe celebri illo mense Maio anno 1938. Sicut omnes noverunt, Summi Pontificis Legatus missus est Eugenius Pacelli, tunc Secretarius Status, qui sane subsequenti anno ad Supremum evectus est Pontificatum assumpto nomine Pio XII.

Maiores vestri semper pro certo habuerunt Christianam fidem arte coniungi cum Mariali pietate: quam veritatem Episcoporum praedicatorum fidei — praesertim Adalberti et Gerardi — apostolicus ardor inculcavit nec non presbyterorum monachorumque, qui Christi religionem populum vestrum docuerunt.

Veritatis Evangelicae receptio, cuius initium factum est sub principe Géza, cultorem invenit praecipuum ipsius filium Stephanum, atque ita factum est ut Silvester II Papa, anno millesimo exeunte, per Abbatem Astrick-Anastasium ei mitteret regis coronam, agnosceretque eiusmodi facinore etiam quod ad formam pertinet Hungarorum supremam libertatem.

Christi Vicarii benevolentiae respondit sanctus Rex ratione laude digna: decem enim dioeceses condidit earumque exstruxit ecclesias cathedrales; monachorum institutioni favit; providas edidit leges, quas colere iussit firmiter; cum populis propioribus aptam excitavit consociationem, mutuo nisam obsequio atque catholicorum institutorum observantia; rationes habuit artas cum praecipuis orbis Christiani tunc temporis sedibus, ibique pro peregrinatoribus Hungaris hospitia constituit. Paucis, Nationem suam in Rem Publicam Christianam convertit.

Imaginem pariter egregiam prae se fert ipsius domestica familiarisque vita. Studiosus exstitit maritus Beatae Giselaë Bavaricae, sororis imperatoris sancti Henrici II. Firma fide praeditus, prope domum regiam aedificavit monacharum coenobium, ut diuturnam orantemque deprecationem prospiceret familiae suae suoque Populo. Pater benignus atque sollicitus vicissitudinum heredis regnique, filium suum Emericum instruxit ad sanctitatem — qui in sanctorum numerum relatus est die XX mensis Augusti anno 1083 — atque ad arduam rei publicae administrandae rationem. Qua in re exemplo sunt hortationes quae inveniuntur in libello “De morum institutione ad Americum ducem”.

Verum, Stephani expectationes ad domum regnatricem pertinentes ad effectum adduci non potuerunt: mortuus est Emericus, ut ferunt regni Chronica, dum venabatur, die II mensis Septembris anno 1031. Licet dolore affectus ob defectionem progeniei suae quam praeficeret Nationi, firmius usque in fide haesit, populumque concredidit suum praesidio “Magnae Dominae Hungarorum”.

Spiritualis Sancti hereditas efficax facta est per decursum acerbae historiae populi Hungarici: Maria vero praesentia atque praesidio suo continenter sapiente, potuit ille identitatem suam servare atque saepe totius Christianitatis oppidum munitum se praebuit.

Volvente hoc anno, in ecclesiis cathedralibus vestrae Patriae a vobis cultus tributus est pretiosis reliquiis clari illius veritatis catholicae propagatoris in vestra Natione. Ipsius “Manus Dextera Sancta” emensa est benedicens regionem vestram, sanctas excitando animi commotiones, moralis spiritualisque renovationis proposita. Unusquisque vestrum istius iubilare memoriae sancti Regis occasionem nanciscatur ad illius fidei altitudinem recogitandam nec non eius vitae civilis et familiaris integritatem, atque ut ei accommodet vitae consuetudinem moresque suos.

Iubilare haec memoria Marialisque Anni celebrationes perficientur Budapestini, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii et Filiae, per sollemne sacrificium Eucharisticum proximo die xx mensis Augusti, inter quod dedicatio renovabitur quam vestrae Nationis Magnae Matri Dei exegit sanctus Stephanus. Hungaria catholica, id pro certo habemus, eiusmodi collegialis consecrationis Virgini actum suum faciet eumque commutabit cum vinculo fidelitatis in Eam atque in Ipsius Filium.

Etiam Nos vobiscum cogitatione et animo erimus. Atque pergratum habebimus vos comitari non precibus tantum Nostrae Apostolica Benedictione, sed Nostrum putabimus Universalis Ecclesiae Pastoris munus renovare, una cum vobis, Fratres in Episcopatu, Patriae vestrae commendationem “Magnae Dominae Hungarorum” ut, — sancto rege Stephano deprecante — Ipsa ei praesidio sit eidemque prosperitatem obtineat atque erga Christum firmam fidelitatem.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XVI mensis Augusti, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**